

Psalmus 123

- 1 Nisi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Israel:
nisi quia Dominus erat in nobis:
- 2 Cum exurgerent homines in nos,
forte vivos deglutissent nos:
- 3 Cum irasceretur furor eorum in nos,
forsitan aqua absorbuisset nos.
- 4 Torrentem pertransivit anima nostra:
forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem.
- 5 Benedictus Dominus,
qui non dedit nos in captionem dentibus eorum.
- 6 Anima nostra sicut passer erepta est
de laqueo venantium.
- 7 Adjutorium nostrum in nomine Domini,
qui fecit caelum et terram.